



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarum reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 1. Principium 1. Periculosè determinatur mortalis iniquitas, nisi habeatur  
expressa veritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

ARTICULUS IV.

De Principiis generalibus ad peccata pertinentibus.

§. I.

PRINCIPIUM I.

Periculosè determinatur mortalis iniquitas, nisi habeatur expressa veritas.

Sensus.

Hoc est, nisi quis certus sit, à se vel ab alio commissum peccatum, qui cum plena advertentia contra Legem aliquam graviter obligantem sit commissus, non debet iudicialiter de mortali peccato admisisse.

Authoritas.

Desumptum est ex Quodlibetico 9. q. 7. a. 15. S. Thomæ pronunciantis: Periculosè determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur: sed & Gabriel de Mort. dist. 15. n. 2. ait, Theologos non debere esse faciles ad iudicandum aliquas actiones vel omissiones esse peccata mortalia, quia hoc est ponere laqueum pedibus ambulantium.

Ratio.

Quia tanta est peccati mortalis malicia, ut vigilem lateat, nec, ut Richardus de S. Victore ait, committi sine gravi corruptione sui, sine gravi læsione Proximi, magno contemptu DEI. Sed & P. Jacobus Alvarez ait, peccatum in tale peccatum tam impium esse, ut, si quis statim post factum dubitet, an deliberatè consenserit, vel facti poeniteat, probabiliter iudicare possit, se non consensisse, cum non soleat animus à DEO aversus tam subito ad Deum converti.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Scrupulosos non facile credere debere se peccasse mortaliter, nisi de tali commissione jurare possint. Suar. Vasq. Gran, Azor. & Layman docent.

Deducitur 2. Non damnandum statim esse peccati materialis, qui per majorem Sacri partem exercet actiones extrinsecas prorsus quidem impertinentes ad Missæ auditionem, tamen neque secundum se, aut ratione scandali malas mortaliter, neque graviter distrahentes animum, uti P. Gobat tr. 5. n. 237. cum Suar. Dicast. Bassæo & aliis docet.

Deducitur 3. Nec illum facilè Laicum, peccati mortaliter damnandum esse, qui res sacras, imò etiam ipsum Chalice actu continens hostias sine temeritate tangeret; ut Gobat tr. 3. n. 327. cum aliis contra Filliut. & Suar. docet.

## §. II.

## PRINCIPIUM II.

Delicta suos tenent Authores.

*Sensus.*

Hoc est, peccatum, quod quisque per voluntatem propriam admisit, non debet alteri imputari, sive quoad substantiam actûs; sive quoad effectum inde secutum; nisi specialis causa subsit, qualis reperitur in crimine læsæ Majestatis, quod nonnunquam & Filii puniuntur.

*Authoritas.*

Desumptum est ex S. Scriptura Ezech. 18. ubi dicitur: *Anima, qua peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii.* Item ex lib. 6. decret. c. ult. re. 76. quæ dicit: *Delictum Peccatorum non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.* Item ex Decret. Sancimus 22. C. de pœnis, ubi dicitur: *Sancimus ibi pœnam esse, ubi & noxia est.* Et paulò pœst: *Peccata suos tenent Authores, nec ulterius progrediatur metu, quàm reperitur delictum.*

*Ratio.*

Quia ratio non patitur, ut alteri per alterum iniqua conditio inferatur, uti dicitur in 1e: *Non debet alteri. 24. ff. de reg. Juris; nec debet aliquis alterius odio prægravari, ff. de reg. 22. Juris in 6. habet.*